


MISCELLANEE
1056
3
NAZ. CENTRALE

JOANNIS BRUSSELII THEOLOGI BELGÆ AD UNUM E CELSISSIMIS S. R. IMPERII PRINCIPIBUS EPISTOLA, IN QUA

Ecclesiæ Belgicæ Catholicæ ſtatus fidelibus, ſinceriſque coloribus adumbratus exponitur.



ELSISSIME PRINCEPS,





Non armis hodie magis colliditur, & ſtrepitu bellorum continuo fervet Belgium, quam litibus & contentionibus Scholaſticis. Verè Palladis aream, ſedemque nuncupes, non illius ſolum, quæ fuſo gaudet hominum ſanguine, & ferro rem cernit, urbiumque ruinis effertur, & agrorum populationibus; verum etiam illius, quæ vitam profeſſa quietiorem, vultum præ ſe fert placabilem magis, & ad omnem humanitatem ac modeſtiam compoſitum; nonnumquam effervеſcit tamen iracundiâ, & litteras adhibet armatas, ſtylumque non aliter ac gladium, vibrat inclementiùs. Polemica dici amat, id eſt Bellatrix.

Suæ illi artes, insidiæ suæ, vulnera, cædes, clades, non secus ac armatæ. Utriusque iras tanto jam tempore experimur Belgæ.

Præcipua è Galliâ calamitas. Uni illi tot exercitus in Patriæ nostræ miserrimæ viscera effusos, illatam agris vastitatem, atque urbibus solitudinem debemus: uni illi tot æquata solo oppida, tot direpta, tot fumantes, tot stratos cadaveribus campos: uni illi novas bellandi artes, machinas novas, atque omnia in hominum exitium, recentibus inventis, versa elementa. Atrocia, fateor, sunt hæc vulnera, & nulli non Belgarum, in quo vel Patriæ aliquis adhuc, vel Principis superest amor, amaris deploranda lacrymis: justissima querelarum materia, atque odiorum nationes inter non facile saturandorum causa. Tristiores tamen plagæ inflictæ sunt strepitu non tanto, & citrà sanguinem. Querelarum & lacrymarum causa præbita longe gravior, quæ Belgarum optimum quemque, & Celsitudinem tuam felicitatis nostræ studiosissimam meritò præ alterâ, magis habet sollicitam. Quid enim habet pagorum, ruris, urbium vastatio, strages, ruina, Quid opum, fortunarum, libertatis, corporum, vitæ jactura tantopere deplorandum, si cum ruina animorum, & priscæ Religionis strage, & cælestium bonorum jacturâ irreparabili, & (ne de rebus futuris agam) si cum turbatâ conscientiæ pace, mentisque amissâ securitate comparetur?

Theologos quosdam turbulentos, strenuos sophistas, dicaces, argutos, omnibus cavillandi instructos artibus, quibus certum est sæpe jam proscriptas hæreses, invitis hominibus superisque, propugnare, novas indies cudere, nec se nec alios quietos pati, sinu suo ejecit Gallia: vel quòd ferre diutius non posset, vel quòd indè imminens Ecclesiæ rebus, & domesticæ paci exitium, ut est cauta, prospiceret.

Gallia ejecit: nos excepimus. Latibula præbuimus, è quibus veluti nocturni Sinones, ingenti pestilentium librorum quotidie nascentium multitudine (sunt namque illis pro facibus libri) incendia spargerent, omnia miscerent, mutuis odiis Belgas accenderent, secumque unà raperent in ruinam. Tanti est inclarescere & nomen sibi parere vel sic. Tanti est audire

Victrix causa Diis placuit, sed victa Catoni,

Quod factionis hujus obstinatissimæ Principi Antonio Arnaldo Gallus quidam nuper Calvinista accinuit, simul partium ejus testatam orbi stragem non immodestè ponens ob oculos.

Fraus

Fraus successit: sata discordiarum materia: raptæ in partes Academiæ: Clerus scissus: Multitudo vel animi pendet, vel addicitur partibus, nullo judicio, sed pro affectu. Galli classicum canunt: arma omnia subministrant Galli: semper capessunt primi pugnam (ut est bellicosa natio, & armis utriusque generis pugnax) quietos lacessunt, & bonorum omnium, quotquot superant, patientiam lassant. Quà præeunt, abripiuntur unà velut torrentis impetuosi fluctibus, Belgarum haud pauci, iique non ignobiles, more cæcorum, nullo consilio, delectu nullo.

Satis est auctores habere Gallos. Quidquid dixerint, oraculum est Delphico certius. Quidquid statuerint, sit novum, sit inauditum; sit obtritum; cum decretis Ecclesiæ universæ è diametro pugnet, adamante figitur. Juratur in verba: sanguine sancitur: tonet, fulminet, cælum ruat, ab his non abibitur.

Visum est Gallis in Ecclesiæ Matris suæ annos inquirere, amissum vigorem pristinum, rugas ævo diuturniore contractas, fatiscentes senio vires exprobrare: visum est & Belgis. Inconditis questibus & vociferationibus Galli cæperunt recoquendam more Medeæ deposcere, & reipsâ recoquere, sive ut mollius loquar, reformare: deposcunt & Belgæ & recoquunt, sive reformant, non aliâ quam Gallorum exulum auctoritate.

Frequentem fideles inter cibi Eucharistici usum è medio tollendum judicarunt Galli, & ubicumque potuere piam consuetudinem sustulerunt. Secuti sunt Belgæ, neque eorum tribuendum segnitiæ, si novo conatui suus non respondit ubivis locorum successus, sed priscæ & ingenitæ populi pietati.

Sacramenti Pœnitentiæ adeo utilis, adeo salutaris, adeo necessarii ordinem invertere placuit Gallis: placuit & Belgis. Illi veniam censent lapsis in flagitium & crebrò & diu procrastinandam, sive ut vulgò loquimur, differendam absolutionem: censent & hi. Illi graves, duras, intolerabiles sæpe mulctas, sive satisfactiones & opera pœnitentiæ præexigi volunt, ut animum pœnitentium explorent: præexigunt & illi. Frequenter etiam post omnia exacta tam hi repulsam addunt, quam illi.

Ad sublevandum gravissimum vix ullis pœnis extorquendæ confessionis onus, adjectum & à Christo Servatore, & ab ipsa rei naturâ arcani sacrosancti vinculum, sive ut vocamus sigillum, Gallis nimis

arctum

arctum visum est, visum est & Belgis. Communi igitur consensu haud modicè relaxatum est. Hinc mox ad Episcopos Præsidesque Sacrorum variæ delatæ de Sacerdotibus arcani violatoribus seu (si sic vocare licet) sigillifragis populi querelæ.

Gallorum & exemplo & impulsu magnæ Virginis & Matris cultum obliquis dentibus admordere non sunt veriti; ejusdem imagines ac Sanctorum, eorumdem reliquias viliori loco habere; publicis sensim supplicationibus, allatâ futili ex ipso Calvino causâ, excludere; hanc populi pietatem tantùm non superstitionis postulare, certè ejus originem ex Paganismi reliquiis derivare, quas stirpitùs evellere religionis nostræ primi propagatores haud potuerint: aliaque id genus memoratu horrenda, ausu impia atque sacrilega.

Iisdem impulsoribus Scapulare Carmeliticum, aut SS. Trinitatis ut appellant, Franciscanum Funiculum, Dominicanum Rosarium, Zonam Augustinianam, specioso nempe prætextu, ut ejusmodi rerum abusus, & temerè collocatam in iis vulgi fiduciam demerent, sic aggressi sunt, ut ne usum quidem videantur velle relinquere, suumque sic saturent, si tamen est saturabile, adversùs religiosas familias odium. Pia sodalitia à majoribus religiosissimè instituta, & frequentata sanctissimè, quæ Confraternitates nominamus, eodem impetu destruere, iisdem cuniculis subvertere nequidquam tentarunt hactenus, tentarunt tamen haud ignaviter, neque hodièdum ab incepto minimè laudabili desistunt.

Iisdem Gallis auspicibus Sacrarum Indulgentiarum pretium minui cæpit, vis extenuari, Pontificum Romanorum liberalitas damnari, earum potissimum promerendarum tempore plebs à Sacris Tribunalibus repelli, veniæ de peccatis beneficio frustrari, à Sacra mensa arceri.

Quid? quod ne ipsis quidem piis Manibus parcitum. Peracta in earum solatium sacrificia petulantibus ingeniis materiam præbuere ludibrii risûsque scurrilis. Ausus quippe est non nemo dicacitate plusquam Erasmicâ, & ore infrunito pronuntiare, & obscenâ manu chartis illinere, plus ex iis solatii inter vivos in tricliniis derivari, quam mortuis accedere. At illæ, jussu Senatus Regii, expertæ sunt Vulcanum vindicem, dextramque carnificis.

Inter has quotidianas rixas, velitationes, tumultus, præcipuum est de Helena certamen, hoc est de causa Janseniana. Eo omnes nervi inten-

tenduntur, eò omnis vertitur industria, eò omnes collimant vigiliæ. Cætera quamvis gravia, minimèque negligenda, ad differendos, distrahendosque veritatis vindices excogitata sunt, neque alio fortè fine tam studiosè continuantur. Annales scriberem, non Epistolam, si machinas omnes, quibus usi sunt & utuntur hodie ad vindicandum carissimum nomen, prosequerer. Sanè his ultimis temporibus adeò strenuè & pertinaciter allaboratum est, ut nulla Belgii civitas, nullum oppidum aut vicus, ne pagus quidem prorsus ab hac labe sit immunis.

Ubivis penè locorum habent è fœderatis suis aliquem, qui rumores ferat sectæ faventes; qui calumniis Religiosas familias hæresi infestas oneret, qui viros, qui mulieres conciliet, qui Latini Sermonis studiosos in Gymnasia novarum rerum studiosa compellat, qui pueros puellasque captet, qui libellos & venenatas chartas distribuat. Cleri pars non modica infecta est. Juniores Parochi plerique quidvis pati mallent, quàm Jansenio valedicere. E Religiosis familiis aliquam non nullæ contraxere fuliginem, optimis quibusvis acriter incassùm reluctantibus. Hinc domestica & penè quotidiana easdem inter dissidia.

Quid agant interim Belgarum reliqui priscæ disciplinæ ac pietatis retinentes? Populares suos revocent in viam? Modestè moneant? A flagitiosis inceptis amicè dehortentur? Hiscere quis ausit? Os illi mox obturabit subita librorum, si fas ità loqui, procella, & repentinus scommatum, convitiorum, calumniarum turbo, non sine ingenti fragore concitatus. Quanta, quanta est conjuratorum Phalanx in unius interitum ruet, & omnia maledicentiæ suæ tela diriget. *Difficultatum* ingens moles exsurget, quas semper præstò habent Centimani illi, gladiatorio ludo à teneris assueti, atque arenæ tandem, tanta est pervicacia, & pugnæ amor, immorituri.

Apud omnes mulierculas temeritatis suæ pœnas dabit, quas Gallici sermonis lenocinio, & quæsita, multo labore, multâ exercitatione, eloquentiâ captas, imparis certaminis arbitras legunt. Gynecæa omnia, & Parthenones pugilem inauditum (Gallicè enim scribere non didicit, aut si novit, tam sublimia mysteria profanis oculis committere, & vulgi judiciis prostituere cum Synesio existimat indignum) omnibus calculis damnant. Plebs it in suffragia: Gallicum siquidem sermonem Belgæ passim intelligunt: loquuntur Gallicè: pauci eò assurgunt, ut scribere politiùs noverint: plebe judice cadit causâ, qui causam coram plebe dixit nunquam, neque dicturus est.

Gallorum ausis temerariis incitatus ruit in Belgam Belga: Popularis in Popularem, in Collegam Collega, Doctor in Doctorem, eo ferociùs, quo civilia bella solent crudeliùs geri, quam extera, & terminari luctuosiùs.

Expertus id non ità pridem Vir Eximius Martinus Stejartius. Sumpserat is sibi Sedis Apostolicæ auctoritatem tuendam adversus Gallos, Belgasque fœderatos aliquot, Gallicâ aurâ afflatos, & in omnem partem mobiles.

Jansenii commenta, fœdosque lapsus in Michaële Baio, Calvino, Luthero legitimis censuris castigatos, emendatosque, & recens conspirantibus Ecclesiæ Catholicæ suffragiis exulare jussos errores, ut par erat, & Catholicum Doctorem decebat, agnoverat scripto publico. Exemplo suo hortabatur Doctores aliquot non injuriâ suspectos ad labem hanc nominis sui, quâ jam diu notabantur, sine strepitu amoliendam. Viam ostenderat, atque unicum iter ad pacem Orthodoxos inter stabiliendam, & Lovaniensi Academiæ pristinum decus vindicandum, quod Janseniana factio tam diuturnâ obstinatione multùm apud exteros, multùm apud suos detriverat.

Immodicum multorum rigorem, & Rhadamanthæam severitatem; qui stultorum more, dum vitia vitant, & quidquid paulò laxius, mitiusvè est, ceu morum pestem reformidant, protinus eunt in contraria, paulò benignior molliverat. Nihil justo nimis; ejusmodi quippe sunt ejus placita, ut Hispanis, Italis, Germanis, qui Gallis Ethicæ reformatoribus non adeò multum tribuunt, æquo fortè duriora, neque humanæ infirmitati satis tolerabilia videri possint.

Sana suggesserat Cameracensi Antistiti per epistolam consilia, non suo tantùm, sed Brugensis Episcopi & Decani Montensis nomine, quibuscum in causâ delegatum egerat, quibus gliscentibus novitatibus obviam iret, & Montensia dissidia feliciter componeret.

Quid in his omnibus non laudabile? Quid non præmio potiùs quàm vituperatione dignum? Quid tamen ille horum omnium fecit aut tentauit impunè? Statim, ceu signo dato, conjuratorum manus Stejartium, velut alterùm Penthea Bacchæ furore percitæ, raptum ivit in partes: aut si forte nimis tragica videbitur hæc comparatio; subitò crabronum, vesparumque examen ingens uvatim insurrexit, & undique & undique ingrato strepitu & aculeis, & morsibus nihil tale meritum pressit, atque confodit. Crederes profanasse Sacra omnia, at-

que

que ipſam Religionis arcem ſacrilegè prodidiſſe Stejartium. Adeò actum eſt cum illo immaniter.

Libros, libellos, chartas volaticas ſcurrilibus convitiis infames recenſere longum foret: longum auctorum nomina percurrere. Præcipuos deligam.

Impotens animi Palladius quidam, ut ſe nominat, S. Auguſtini Diſcipulus (ſi famæ credimus & communi eruditorum judicio, Ægidius Albanus, non ſemel Romano notatus ſtigmate, Palladium ſe dicens pro Ægidio, factâ ad Palladis Ægidem frigidâ alluſione, in Arnaldi Scholâ educatus, & formatus ad ejus genium, novo huic Chironi Achilles haud inficiandus, vel ſi mavis, quod verius eſt, Therſites) effrenato ſtylo, turgidis atque inconditis phraſibus, ampullatâ dictione, Aſiaticâ loquentiâ Janſenium vindicare aggreſſus eſt; obterere Stejartium, non argumentorum pondere, ſed convitiorum, ſcommatumque, & ſalibus perfricare viro ingenuo minimè dignis, ne dicam Eccleſiaſtico, atque altaribus conſecrato.

Quot plauſibus excepta tam inficeta, tam inſolens, tam procax inſultatio? Acclamatum undique Eugè, Bellè, σοφῶς: decreti triumphi, deſtinata laurus. Feſtivis tot plauſorum vocibus tumens, elatuſque certamen iterum, atque iterum repetiit Bebrycum de gente pugil, atque illi Amyco ſimilis, quîcum congreſſus eſt Pollux

Ἄγριος ὤν, πρὸς πάντα παλίγκοτος, ἠδ' ὑπερόπτης,
Horridus, iracundus ad omnia, & altior hoſte:
Δεινὸς ἰδεῖν, σκληρῇσι τεθλασμένος οὔατα πυγμαῖς
Torvo oculo, duras contritus ceſtibus aures,

Humanitatis omnis immemor, & decori oblitus, & uſitatæ profanos quoque ſcriptores inter honeſtatis.

Stejartii Epiſtolam ad Cameracenſem Præſulem ſex continuò libris (ſeptimus, ut audio, ſub prælo ſudat) exagitavit quidam è Gallis exulibus, politior Sophiſta, & fucis omnibus inſtructus. Hui! tam multis libris unam Epiſtolam, eamque pro negotii magnitudine non prolixam! Obterendus eſt Stejartius: ità jurarunt factioſi. Omnibus Epiſtolæ ejus apicibus inſidiandum. Juſtè, cautè, prudenter, optimè dicta in peſſimum ſenſum detorquenda. Nihil abeat impunè, ne quis ejus exemplo cornua erigat, aut genuinum poſthac è conjuratis cuipiam infigat. Rhetoricæ vis omnis exhaurienda, ut nemo non victum

agnoſ-

agnoſcat Stejartium : ut mulierculæ omnes digito notent , & nulli non è vulgo fabulam debeat , atque riſum. Sic obteratur , ſic jugu- letur, quicumque Lovanienſis Doctor Janſenii cineres quieſcere non ſinit : id eſt, Bullis paret Pontificiis , & peſſimæ cauſæ nuntium tempeſtivè remittit.

Adjectus auctarii loco Latinus libellus nihilò minor, in quo Stejartii, ſi ſuperis placet, defectio (ita enim loquitur) ad Religioſorum doctrinam & ſenſa, ac ſi eſſet novus παραβάτης , coloribus depin- pingitur inuſitatis & Gallicum penicillum redolentibus.

Interim neque Huygenius neque Hennebellus ceſſant: Noctes & dies meditantur ; materiam congerunt. Opſtratium conducit Huy- genius Porcini nuper Gymnaſii, cui jam à SS. Trinitate nomen fecere, non ignobilem Poëtaſtrum, repentinum è Poëtaſtro Theologum , alius diceret Theologaſtrum, qui ſtylum commodet. Galli cujuſdam operâ uti dicitur Hennebellus. Quod poſſunt igitur ; calcem & cæmenta, trabeſque convectant, è quibus domum ſtruat artifex peritior ; atque omnibus, ut aiunt, ungulis allaborant. Inconditis præterea clamoribus atque inſanis jurgiis, quibus Lovanienſe Lycæum penè quotidiè, ut audio perſonat, Stejartium fatigant & tantum non obruunt. Semper hîc illis

δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.

Bilis acerba ſupremis naribus hæret.

Swanius pro ſuo in factionem ſtudio operam & induſtriam minimè patitur ſuam deſiderari. Quantum animis, quantum arte , quantum litteris valet & ſtylo, tantum conſecrat, plus utique allaturus, ſi reſponderet facultas voluntati. Sæpius deploravi viri minimè mali , & ingenuæ ut apparet indolis, educationiſque perquàm honeſtæ infortunium , quem neſcio quæ ſors ac triſte fatum , in hoſce ſcopulos impulerit , undè pedem referre prohibet peſſimus officii magiſter pudor , & cæca adverſus neſcio quem malum inſtitutorem obſervantia.

Voces quoque ſuas miſcet neſcio quis *Cantor* & ſtridet quiddam inamabile.

Σφὰξ βομβῶν τέττιγος ἐναντίον.

Stridula in argutam conſurgens veſpa cicadam

Aut ſi mavis , anſer olori æmulus , rauco gutture Stejartium à certamine deterriturus, aut Gallos excitaturus, ut acturùm ſuppetias accur-

currant, & Pontificium collegium, quod fœderatis pro Capitolio est, adversùs Stejartii impetus propugnent, memor olim anseres Romanum Capitolium servasse.

Non memoro cantilenas vernaculo sermone conceptas, & puerorum ac puellarum manibus insertas, Sacrarum etiam virginum Collegiis immissas, quibus invisum fieret Stejartii nomen. Quid interim ad tot convitia, tot morsus, tot aculeos Stejartius? *Pusilli hominis esse reputat & miseri* (ut verbis Stoici cujusdam recentioris utar) *repetere mordentes, ut mures & formicæ, ad quas si manum admoveris, ora convertunt. Imbecillia se lædi putant, si tanguntur. Ille magnus & nobilis est, qui more magnæ feræ latratus minorum canum securus exaudit.* Adeò his non movetur, ut non ità pridem novam Quatuorviris dicam scripserit, eorumque mira quædam & paradoxa dogmata Romæ obtulerit ad censuram. Tenet namque illud Menandræum

Χρηστὸς πονηροῖς ὀ τιτρώσκεται λόγοις.

Non læditur malis bonus sermonibus; vel sic: *Non vulneratur vir bonus convitiis.*

Verè de illo dixero, quòd de antiquo illo maledicentiæ Aristophaneæ contemptore celebratum accepimus

Οὐδ' ὅσσον μυίας στυγερῶν ἐμπάζετο μύθων

Non tanti ac Muscam voces faciebat acerbas.

Geritur jam per Epistolas Bellum. Causam priùs dumtaxat affectam strenuè promovet. Jam fugam minantur Quatuorviri, & rimas unicè venantur, quibus elabi possint, aut salvo honore & nomine modestè canere receptui. At elabi Stejartius non sinet, si virum novi. Nulla pax erit ante palinodiam.

Non mirabitur Stejartium de Lovaniensi Academiâ minimè malè meritum tam inclementer excipi, quisquis intellexerit, ne ipsos quidem sacrorum ac Religionum custodes, Christiani populi Patres, Ecclesiæ Principes, hoc est, Episcopos, alio loco esse, vel numero, si quid sanciant decretis novæ factionis adversum. Et illis hiscere capitale est. Nota Belgis, & optimo cuique deplorata loquor.

Nuper decretum edidit Illustrissimus Mechliniensis communi reliquorum Episcoporum consilio conceptum, quo promiscuam S. Scripturæ lectionem vernaculo sermone multitudini interdixit: aut veriùs, legem à majoribus sancitam, in Provincialibus Conciliis confirmatam, in Catechismo Diœcesios expressam, ab auctoribus Indicis Tridentini

 dicta-

dictatam, approbatam à Romanis Pontificibus, nescio quorum hominum sinistris exemplis, & impulsu violari nuper cæptam, renovavit. Magnum nefas, quodque inultum religiosa gens ferre non possit!

Continuò libellis tribus, triplici linguâ, Latinâ, Gallicâ, Belgicâ, ne quis non intelligat, inverecundissimè incessitur, fœdissimè proscinditur, atrocissimè laceratur. *Publicæ pacis perturbatorem* appellare non admodùm grave est. Mechliniensis Ecclesiæ *non sponsum*, sed *adulterum* inscribere, durum quidem, tamen tolerabile. Habent veterum exempla, quibus se tueantur. At nunquam sic salutarunt Gilbertum, qui relictis Convenis ad Tornacenses infulas evolarat. Nota est causa. *Redivivi Granvellani* titulo cohonestare, nescio an sit tam contumeliosum ac existimant. Tumultus Belgicos, quos ipsi suscitant, & minantur atrociores, uni illi assignare, atque omni innoxium onerare invidiâ, seditionum omnium auctoribus familiare est. Nihil dignum suo spiritu fecerint, & Jansenіano furore, ni integerrimo Antisti *Sicariorum mores* objecerint, ut facit auctor libelli Gallici: ni crudelem, & Quæsitoribus fidei Italis, & Hispanis immitiorem, iniquiorem, intolerandum magis (en quid de SS. Tribunalibus sentiant, qui Tribunalium ejusmodi justissimâ severitate digna gerunt) proclamarint: ni Hæresi afflatum, ni *Diabolo auctore* in decreto condendo usum scriptis infamibus ebuccinent. Huc enitendum erat. Vulgaribus maledictis jam aures assueverant. Novis opus erat Jansenisticæ urbanitatis, ne dicam pietatis, floribus. Adhibendi sales, cujusmodi Calvinianos ipsos puderet. Calvinistis doctrinam suam omnem debeant: hi sunt eorum partus proprii. His glorientur.

Quid Episcopis Belgii cæteris fiet Primatis sui vestigia tam studiose legentibus? Et illi decretum simile jam publicarunt. Ipse quoque Cameracensis adstipulator accessit. Eritne bilis omnis exhausta? Debacchandi satietas ceperit, sumptâ de eo, quem auctorem putant, ac cæterorum impulsorem tam atroci vindictâ? Falleris: impacta jam sunt ipsis, priusquam peccarent, vulnera. Imminentem sibi tempestatem præsentiebant malè sibi conscii: jam occursum est malo. Vide hominum ingenium, agnosce impudentiam, ne verbo utar graviori. Nescis, inquiunt, in libello Belgico, Paulos Samosatenos, Eusebios, Nestorios, Photinos, Acatios Episcopos fuisse (addere potuissent Jansenium, sed religio vetuit,) & tamen sacerrimarum hæresum

vel

vel auctores, vel obstinatissimos Patronos & propagatores. Atque hâc suâ invidiosissimâ & maledicentissimâ comparatione, quanquam tacitâ, plus satis produnt, quo loco Belgii Episcopos omnes habeant, quo loco habendos censeant. Neque nobis obscurè divinandum relinquunt, quid clanculùm initiatis suis de Episcopali auctoritate, si somniis suis ac erroribus inimicam patiantur, inspirent.

Colligere quoque possumus, quid de Romanis Pontificibus, quid de Cardinalium Collegio, quid de Italiæ totius, atque Hispaniæ Præsulibus statuant, qui latam de non legendis promiscuè vernaculâ linguâ scripturis Sacris legem religiosè servari curarunt hactenùs, atque curant. Si sibi constare volunt, hæretico illos spiritu actos tanto jam tempore, & etiamnum agi, profiteri non refugient, & palàm edicere, hasce Catholici orbis nobilissimas partes, & velut in annulo gemmas, ab omni Hæresios contagione sacræ inquisitionis beneficio, ut putabamus, immunes, ipsorum Quæsitorum prævaricatione, aut inscitiâ, turpissimâ scabie infectas esse, & porrò infici.

Et ægrè feret quispiam infames hos, ac detestabiles libellos jussu Regii Senatûs Geldriæ Lictoris manu laceratos Vulcanoque traditos? Et erit, qui non execretur incredibilem audaciam, ac stoliditatem Galli cujusdam, qui libellorum horum causam adversùs cognitores Regios edito scripto nihilò modestiori tuendam susceperit; qui temeritatis postulet, & præcipitis sententiæ; qui impacta Episcopis vulnera, flagitiis flagitia accumulando, renovet, altiùsque imprimat? Quod tandem erit sceleris genus patrocinio destitutum, quando hæc tam insolens in Ecclesiæ Proceres procacitas, nunquam satis punienda, suos quoque reperit defensores, qui tam atroces injurias non purgent, aut dicendo elevent, sed insolitis exornent laudibus?

Belga nescio quis, ut facilè apparet ex candore, Belga Gallici sermonis haud imperitus, levi manu, minimèque operosè scriptum Gallicum adornarat, antidoti loco, detergendas molliter calumnias, & labes, quibus apud plebem Illustrissimi Archiepiscopi nomen infuscare studuerat seditiosus Jansenista, eductis ex angulo & pulvere nonnullis Thesibus, quas ante annos quadraginta & ampliùs, Theologiæ operam navans, sub alienis propugnaverat auspiciis, non tam suam, quam magistri secutus doctrinam, ut mos est discipulis. Operosius longè & nervosiùs idem præstiterat (quanquam hujusmodi vindiciis innocentia illustri in loco posita non indigebat) Didacus de Oropega,

ga, Theologus minimè ignavus, & ad retundenda omnia Janſenianæ virulentiæ tela non imparatus. Præſtiterat autem latino, id eſt eruditorum ſermone & ad Scholam, ſpinoſaſque quæſtiones tractandas facto. Alter in re ſubitâ, ut levis armaturæ miles, velitabatur dumtaxat: hic pugnabat: ille plebi ſcripſerat: hic Theologis: ille mulierculis: hic viris.

Omiſſo Didaco, quem validiſſimis armatum rationibus intelligebat, & nullâ ejus mentione factâ, ne videretur certamen declinaſſe cum cataphracto, ſemiermem illum aggreſſus eſt Gallus tenebrio, non difficilem victoriam ratus, quam non in cauſæ bonitate, ſed in armorum diſcrimine & pugnandi peritiâ collocaret. Ut bonum illum Belgam immiſericors pugnis concidit & calcibus, atque in illo Archiepiſcopum? Quoties vocat Patronum miſerabilem, & illâ cauſâ dignum? Quoties ingenii ſtuporem, quoties Dialectices imperitiam objectat, ipſe ſcilicet ~~ſophiſmatum texendorum~~ longè peritior, & in celando callidior? Hanc illi laudem nullus invidet. Quoties ridendum propinat, verbis ejus in alienum ſenſum ſubdolè detortis? Quoties inſultat ut victo? Si θρασωνίζειν, ſi ſarcaſmos, & amaras figuras intorquere, vincere eſt, victorem illum nullus inficiabitur: Singulæ illum paginæ victorem probabunt. At victorias illas & triumphos manibus ejus extorquere arduum non fuerit ſine figuris tam atrocibus. Non alio opus erit quàm Oropegâ. Artem ille novit, neque hanc, ut ſpero, tam bonæ cauſæ operam denegabit.

Hæc dum meditor & ſcribo, amicorum mihi non nemo nuntiat negotium faceſſi Oropegæ, ſed aliâ viâ, ratione aliâ. Publicum certamen diſplicet. Clam illum per inſidias adoriuntur nocturni milites: perque ejus latus denuò petunt Archiepiſcopum. Rationes ejus refellere importunum judicant: neque enim poſſunt. Per calumniam impudentiſſimam fingunt propoſitiones P. Ludovici de Schildere celebris, & ſcriptionibus Theologicis clari Jeſuitæ, de quibus ſupra, è Theſibus excerptas, quas non eſſe eaſdem, quæ Pontificiis Decretis proſcriptæ ſunt, (ſi unam fortè exceperimus illâ tempeſtate pluribus communem Doctoribus, etiam Lovanienſibus) prolixè oſtenderat, allegatis juſtis diſcriminibus; ab ipſo probari, doceri, propugnari quodque longè impudentius, probari, doceri, propugnari ab Archiepiſcopo. O ferreas frontes! In manibus omnium eſt Oropegæ ſcriptum, & ſic imponunt! Aperto libro convinci poſſunt, & tam

ſecu-

ſecurè mentiuntur ! Securitatem à latebris mutuantur ſuis, tenebrarum filii, Non agunt igitur hoc ſcripto publico, ſed clanculùm Illuſtriſſimum Internuntium appellant. Offerunt illi libellum ſupplicem typis quidem impreſſum, at venalem nullibi. Subſcribunt libello nomen *Chriſtiani Catholici Romani.* Facilè aliàs ſuſpicari vir Illuſtriſſimus potuiſſet ejuſmodi famoſas chartas è vicinâ Bataviâ proficiſci & à Calviniſta quopiam plebeio fuiſſe adornatas. Neque enim primi nominis inter eos, & majorum gentium Theologi artes hodiè tam indignas probant. Aperto marte rem gerunt, ſolem amant, certaminis teſtes adſciſcunt, ſic cadere glorioſius reputant, quàm malâ fraude vincere. Fuerit is eorum majoribus uſitatus mos; poſteros pudet. Habeant illum cum cætera Calvini ſuppellectile Heredes Janſeniſtæ. Neceſſarius eſt nova ſibi regna molientibus, non iis, qui jam ſedes pacatas occupant.

Cui majorem hîc fieri injuriam dixero, Archiepiſcopone, de quo tam graviter calumniantur; an Illuſtriſſimo Internuntio, cui calumnias tam craſſas, tamque palpabiles per ignotum Tabellionem obtrudunt? Statuat æquus rerum æſtimator. Meum non eſt hìc rem decidere. Sanè in Illuſtriſſimum Internuntium perquàm injurioſi ſunt, quem tam opportunum dolis, ac idoneum mendaciis exiſtiment, quæ quis Tireſiâ cæcior, & Midâ ſtupidior deprehenderet. Si per ejuſmodi inauditas ſycophantias cauſam ſuam meliorem reddere ſperant, ſtulti ſunt: ſi famam atque nomen Archiepiſcopi perdere apud virum prudentiſſimum, miſcent ſtultitiæ improbitatem. Verum de his Oropega viderit: nos pergamus.

Vulgatum intereà ſcriptum quoque Gallicum adverſus Antiſtitem Gandenſem populi univerſi nomine. Id populus curat ſcilicet. Aggeſtæ difficultates jam ſæpius in variis libellis recantatæ: novi nihil. Immutata ſcribendi ratio, ordo rerum inverſus, eædem næniæ aliis involucris. Id enim habet tota ſibi factio familiare: Semper pugnat iiſdem telis: Faſtidium ſperat ſe tollere, ſi cibi genus idem aliter, atque aliter incruſtet, vel novo condimento primoribus labris peregrini aliquid ſaporis accerſat; quod eſt coquorum penuariâ egeſtate laborantium.

Quid ille præ cæteris tam malè meruit, ut unus inter omnes poſt Archiepiſcopum ad pœnas depoſcatur à conjuratis? Certè omnium poſtremus decretum publicavit, quod adeò inviſos factioni fecit cæteros

Episcopos; sed verbis concepit gravissimis, & zelo ejus ac sanctâ severitate dignis: sed vulnus renovavit, quod jam duxerat cicatricem: sed spem elusit, quam longior mora factioni injecerat, fore ut unus inter omnes conniveret. Hinc illa tam libera indignatio: hinc expeditus in illum solum seorsim stylus, non minus vehemens ac procax, quàm fuerat ille, quem prompserant in Mechliniensem. In utroque scripto regnat idem fastus: similes passim inspersi sunt aculei, morsusque, & contumax quidam Ecclesiæ Principum despectus, nullis textus ambagibus. Eâdem obscenâ salivâ decretum tam hoc, quam illud conspuitur. Utrobique temeritate minimè ferendâ seditiosis vocibus multitudinem animant ut obedientiam hâc in parte Episcopis debitam excutiant, & exemplo suo conculcent. Unum discrimen est, quod in theses nullas inciderint, è quibus suo more truncatis & à reliquo contextu avulsis, laxæ damnatæve doctrinæ suspicione Gandensis nomen, quemadmodùm Mechliniensis collutularent, Magistrique, si quæ forte subest, noxiam luere juberent discipulum, & causam reddere tyrocinii Theologici.

Visus est quibusdam viris minimè malis hic desperantis sectæ supremus conatus, & quædam quasi spuma, quam colubri attriti evomunt. Quid enim, sic irritarent à quibus toti pendent nisi præ desperatione furerent? Sic illis barbam vellerent in quorum manibus omnes illorum fortunæ sitæ sunt? Quis nisi furiosus novam in se suosque tempestatem concitet, quam solo silentio & dissimulatione possit declinare? Ni placatos habeant Antistites, muniis omnibus Ecclesiasticis exclusi sunt sectæ alumni, exclusis alumnis necesse est exspiret secta, sensimque deficiat. Protervi & contumaces dejici de gradu possunt, pœnis Ecclesiasticis mulctari, à ministerio Sacramentorum arceri. Justissimæ Episcoporum vindictæ ultrò sine causâ se suosque objectare, quid tandem est, si non est furere?

Bonâ virorum illorum pace dixero. Sectæ hujus ingenium non norunt. Quidquid molitur consilium est, non furor. Formidabiles videri volunt: volunt terrere. Volunt hâc viâ tam inusitatâ impendentem cervicibus suis nubem pellere. Quis enim Episcoporum nova posthàc au sit decreta condere, tam præclaris mox notis illustranda? Tot implicandus *Difficultatibus*, & *Quæstionum* labyrintho includendus? Tot infamibus libellis per Belgium & Galliam differendus, traducendusque, non secùs atque avis peregrina dirique ominis, uno at-

que

que altero asse, levi pro voluptate pretio, spectabilis, & inconditæ multitudinis judicio sibilisque exposita? Non sint gravia, quæ impingunt vulnera, sint culicum morsus, aliquid tamen creant molestiæ. Morsus deme, susurrus ipse ingratus est, & raucas vox imitata tubas.

Καὶ τότε χώνωπες μεγάλας σάλπιγγας ἔχοντες
Δεινὸν ἐσάλπιζον πολέμου κτύπον.

At major erit Episcoporum constantia. Audentiores ibunt adversùs contumax malum. Ità confidimus. At ipsi experti sunt quosdam ab officio hâc viâ fuisse deterritos. Nec enim primùm ejusmodi utuntur armis. Eadem jam olim triverunt in Gallia, sciunt quo successu. Quotusquisque non habet in ore tritum istud, *noli irritare crabrones?* Quam pauci cum Gregorio Nazianzeno in Apol. exclamant, *Utinam ex eorum numero sim, qui pro veritate decertant, & in offensionem odiumque hominum incurrunt: Immò etiam in hoc numero esse gloriabor*: Quàm pauci cum Hieronymo Apol. 3. adversùs Rufin. *in hoc consentire tibi non potero, ut hæreticis parcam.* Et in procem. Dial. adversus Pelag: *Respondeo numquam me hæreticis pepercisse, sed omni studio egisse, ut hostes Ecclesiæ, mei quoque hostes fierent?* Certè ipse importunos & inconsultos amicos quosdam meos, qui timidi ipsi metum quoque mihi incutere parabant, multisque deprecabantur, ne me cum Belluâ centicipite totque maledicis linguis committerem, aliter compescere non potui, quàm versus illos veteres ingeminando

Ὅς ἐκ φόβου τὴν γλῶσσαν ἐγκλείσας ἔχει,
Κάκιστος εἶναι νῦν τε καὶ πάλαι δοκεῖ
Quicumque linguam præ metu vinctam gerit
Et nunc & olim visus esse pessimus,

De alumnis suis parùm sunt soliciti. Norunt malorum ovorum esse pullos non degeneres:

κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν,

Simulare omnes in eodem ludo docti sunt, nec priùs se prodere quàm munus obtineant à quo sine longâ ac molestâ lite dejici non possint. Hanc artem nullus est, qui non calleat, & ubi res postulat, non exerceat. Sic quotidiè Episcopos ludunt; sic prensant, quotquot vident, apud eos vel gratiâ valere, vel auctoritate, larvam mox voti compotes excussuri. Quot non hac arte captos operæ suæ collatæ pœnitentes vidi, & pudore confusos, quod lupum agni pelle vestitum Præ-

sidibus

ſidibus commendaſſent, qui ne gratiarum quidem actione ſe dignaretur.

Interim magnum capit ſecta incrementum, peſtiferâ contagione per gregem omnem diffuſâ, & plaudentibus conjuratis orthodoxus aliquis repulſam ſuam plorat, ab ipſis neglectus orthodoxis.

Sed neque factio deſperat; Ne finge. Gravioribus eluctata tempeſtatibus eſt, quàm ut tantopere ad unam nubeculam commoveatur. Qui fulmina inter ſæpè riſit, & omnes ventorum iras expertus eſt, ad modicum turbinem non exanimatur. Qui tactus de cælo & ſolo alliſus, erigere ſe auſus eſt, & ſi non præſtare, ſaltem ſe jactare incolumen, an is ſpem omnem poneret acceptâ mediocri plagâ, quæ vix cuticulam ſupremam ſtringat? Quam duo Romani Pontifices pœnis, atque cenſuris Eccleſiaſticis, quam Rex Chriſtianiſſimus Regiâ ſuâ poteſtate, & octoginta & amplius Galliæ Epiſcopi conſpirantes in deſperationem agere non potuere, aut à temerè inceptis revocare, hanc quinque vel ſex Epiſcoporum decreto exiſtimas exanimandam? Ὀσσίχον ἐστὶ τὸ τύμμα, quantulum eſt vulnus ut Gigantæam ſobolem percellat,

Terrigenas Fratres, cœlo capita alta ferentes?

At undè, inquies, hi gemitus, hi clamores, tantumque ac talè murmur, ſi non tam altè vulnus adactum eſt? Delicatiſſimam corporis partem, ubi tenerrimus eſt ſenſus, ipſam oculi pupillam, aut ſi quid illâ carius eſt, hoc eſt nominis exiſtimationem læſit, quam tueri aut vindicare non poſſunt, niſi per tot clamores, voceſque confuſas, quibus hæreſios maculam ipſis Epiſcopis affricent. Quid enim multitudo ſentiet, ſi diſſimulent, ſi taceant, ſi parcant vociferationibus, poſtquam ſibi libros viderit Antiſtitum imperio eripi, quos tam operoſè legendos tradiderant fœderati? Quid dicent tot, tamque nobiles Amazones, quas communicando arcanos libros ſectæ obſequiis devinxerunt, poſtquàm Heroum ſuorum conſilia, & rationes ab Epiſcopis tanto conſenſu improbari intellexerint, niſi clarè perſpiciant falli Epiſcopos, & ſpiritu duci hæretico, quotquot ſectæ conatibus adverſantur? Niſi id altè, præſidenter, obſtinatè libris plurimis inculcetur, non auſæ fuerint ferre ſententiam. Nominis Epiſcopalis Reverentia quamlibet temerarias retardabit.

Nullis hic fucis aut diſtinctionibus locus, quibus ſe clament intactos, vulnuſque velent, ut erat, cum plaga fatalis ſemel, ac iterum quintuplici vulnere accepta eſt. Nullus inficiari poteſt omnibus

à ſe

à se obtrusos esse divinos libros. Palam igitur sexcentis sophismatis probandum, id fuisse rectè atque ordine factum; à vero aberrare, qui secùs existiment, quâcumque sint in dignitate constituti, aut quantâlibet cognitione ac scientiâ præditi. Hæc una supererat maculæ eluendæ via. Hac itum.

Magnis igitur vocibus conclamari cæptum, promiscuam S. Scripturæ lectionem omnibus nullo discrimine ab ipsâ Scripturâ, ejusque auctore ac dictatore Spiritu Sancto præscribi, id luculentissimis ex eâ haustis testimoniis omnibus palam esse: accedere traditionem ipsam, atque concordem SS. Patrum sententiam ad Sacrorum voluminum lectionem non dumtaxat tamquam ad rem unicuique fidelium perutilem, adhortantium, verùm etiam tamquam ad unicè necessariam cujusvis generis homines obligantium. Id passim ingeminare Basilios, Chrysostomos, Hieronimos, Augustinos, Orientis & Occidentis lumina. Neminem olim ausum contrà hiscere. His ultimis temporibus, quando omnis Ecclesiastica disciplina fædissimè cæpit collabascere subductos novo tristique exemplo, & Christianæ multitudinis manibus excussos Sacros libros; testamentum Patrum; animorum pabulum; Dei ad homines universos epistolam Spiritus Sancti digitis exaratam legi vetitam, tamquam noxiam ac veneni plenam, quamquam non epistolæ, sed legentium vitio. Hunc prætextum inauditæ hactenus inter Christianos legis, & quæsitum colorem: latam fuisse legem, at neutiquam observatam in iis locis, ubi aliquid priscæ libertatis superfuerat, in Germaniâ, Galliis, Britanniâ, Belgio denique, ubi recens erat edicti Carolini memoria ità jubentis, *Populus autem legat libros Sacros.* Maluerunt scilicet pii Belgæ Imperatoris Principisque sui sanctionibus parere, quàm Romanorum Pontificum, atque Antistitum, vel indicis Tridentini regulis.

Hæc omnia, quando tam animosè jactantur, tam libero plenoque ore; quis suspicetur subesse fraudem? Quis Episcopos perversis usos consiliis non existimet; quando adversus ipsum Spiritum Sanctum insurgunt, & traditionis venerandam antiquitatem pedibus subjiciunt? Quis contrà non probet hos in fœderatis animos, pro Christiani populi libertate, tam gnaviter certantibus? Et tamen animosè jactare longo jam usu didicimus non esse idem, quod jactare verè: Et ingentes clamores non esse semper in Patronis bonæ causæ indicium. Qui rationibus, argumentisque suis fidit, pacatus est, & placidè congredi-

 gredi-

greditur, qui vacillat & ceſpitat, dubiis rationibus pondus aliquod vociferando conciliat ſpem vultu ſimulans, premens corde formidinem. Ego certè clamoribus hiſce jam olim aſſuevi. Quemadmodum enim Lutherani & Calviniſtæ ſola ſemper Biblia avorum memoriâ inclamabant, nec alio ſe niti controverſiarum arbitro, quam cæleſti oraculo: Biblia in omnibus ſtare pro ſe, univerſum Dei verbum eſſe ſuum, hominum judiciis nihil ſe tribuere, quoties Spiritus Dei loquitur; Ita Janſeniſtæ utriuſque Hæreſiarchæ poſteri, Calvini potiſſimum, Scripturam ſibi ſtrenuè vindicant, & ſuam eſſe incredibili confidentiâ clamant, omnia ſua placita è divinis litteris hauriri, ſe ſolos genuinos eſſe Evangeliorum interpretes, ſolos Pauli Apoſtoli mentem aſſecutos, qui diverſum aliquid à ſe ſentiant, caligare ut noctuas ad meridianum ſolem, cæterum, in quo Calvinus fœdè aberrarit, illam inſano conſilio repudians, *traditionem univerſam* ad ſe quoque ſpectare, ſolos ſe fideles eſſe illius depoſitarios: ità ut hæc videatur eorum germana teſſera, *Scriptura*, & *Traditio*.

Quidquid Janſenius pronuntiavit unquam, venditabat ut oraculum, ut rem in ſcripturis clarè expoſitam, ut Patrum ætatibus, Auguſtini præſertim ſœculo, indubitatam, ut clariſſimam lucem, cui neſcio quas tenebras offudiſſent recentiores Scholaſtici, inanium ſubtilitatum aucupes, Ariſtotelici veriùs, quam Chriſtiani. Quidquid ſomniavit umquam Arnaldus (qui quod Luthero Melancthon, quod Beza Calvino, præſtitit hactenus Janſenio) quidquid ſomniare perget, veritas eſt ipſiſſima, luculentiſſimis ſcripturæ teſtimoniis expreſſa, ſolis deſcripta radiis, conſpirantibus patrum ſuffragiis confirmata, & poſteris quaſi per manus tradita. Quiſquis contradixerit, ſoli obloquitur, in SS. Litteris hoſpes eſt, & peregrinus; neminem unquam SS. Patrum, pictum, quod dicitur, vidit: non modò ad ſapientiam cœcus, ſed ad ea ipſa, quæ indoctorum oculis patent, hebes, & obtuſus eſt: homo ſine ingenio, truncus, atque ſtipes: *τύτȣ*, ut cum Athenæo loquar, *ἰατρεῦσαι τὴν ἀγνοιαν ὐδ᾽ Ἀσκληπιάδαις τῦτ᾽ ογε νομίζω δεδόσται*, illius ignorantiæ mederi ne Aſclepiadi quidem conceſſum puto. His atque aliis mox titulis, quos Gallica ejus eloquentia, quovis flumine torrentior uberrimis fluctibus fundit, cohoneſtabitur.

Hunc communem Magiſtrorum ſpiritum ſtrenuè æmulantur diſcipuli: Hæſitanter quidpiam pronuntiare illis Religio eſt: omnia pronuntiant *intrepidè*. Non loquuntur niſi primas, certaſque veritates.

Quid-

Quidquid ſapuit antiquitas eſt, traditio eſt. Si qui ſecus ſentiant & mutire auſint, pro picis, graculis, ranis habent: fungi ſunt, & caudices, neque plus ſapiunt, quàm occiſa ſus, ut Plautino more rem efferam. Illud Plutarchi enim frequenter ſecum agitant, ἀρχὴ τοῦ νικᾷν, τὸ θαῤῥεῖν, Principium victoriæ eſt audacia.

Non commovet me igitur falſò oſtentata toties, & erroris convicta fiducia, immo illa ipſa hortatur, ut falſò, vel infideliter jactari exiſtimem, quidquid in præſenti controverſiâ tam prolixè, tamque magnificè ac glorioſè & inſultabundi proclamant.

Erit, ut ſpero, brevi aliquis præter Oropegam, qui & ſtylo & eruditione par, inſanas ſuperbaſque voces pro virili compeſcat. Erit, qui Epiſcopos veluti ſub jugum miſſos, & in triumphum ductos, ſolidâ ſcriptione ulciſcatur. Quis enim, in quo aliquid reſiduum eſt generoſi ſanguinis, & ſpiritûs priſci, diutius ferat lucifugas iſtos Philiſthæos agminibus Iſraël, & populi ſui Principibus, adverſus divinum edictum, protervifſimè inſultantes? Scriptum eſt enim, quod in Epiſcopis pariter locum habet: *Principi populi tui non maledices.*

Parui voluntati tuæ Princeps Celſiſſime: habes Eccleſiæ Belgicæ faciem fidelibus, ſinceriſque coloribus expreſſam. Habes rerum noſtrarum miſerabilem ſtatum. Haud vereor ne verbis uſus videar nimis tragicis in re tam Tragica. Quid ſpei reliquum ſit vides. Antiſtitum auctoritas pedibus obteritur: Romanus Pontifex redigitur in ordinem: non plus poteſt, polletque apud hoſce terræ filios, quam Plebanus S. Rumoldi Mechliniæ in cæteros Mechlinienſis Diœceſios Sacrorum Præbitores, ſive Parochos poſſit, polleatve. Ejus cenſuræ execrationeſque & diræ majoribus noſtris adeò terribiles, non plus timoris incutiunt novis hiſce gigantibus, quam lignei Jovis fulmen fictile. Alpium jugis, ſi quod telum vibrat, comminuitur; Nihil alpes tranſcendit, niſi inane quoddam murmur, quod imbelles animas moveat. Ejuſmodi ſunt conjuratis in ore voces, ita ſentiunt: ita ſentire Belgarum reliquos jubent.

In Regiâ igitur dexterâ fiduciam omnem collocamus. Scimus religioſiſſimum Principem juſtiſſimo ejuſmodi peſtium odio flagrare: ſcimus Regios Præfectos ac Miniſtros non minùs â ſectâ alienos. Multum poterit, & Galliæ Regis exemplum (nam quid vetat in hoſte virtutem mirari atque imitari) qui ſordes haſce peſtiferas regno ſuo expulerit, & ſicubi novis ſe malum prodat indiciis, ferreis legibus com-

compeſcat, aut mulctet exiliis. Hæc unica eſt ad [illegible]cend[illegible] morbum, ſi non ad funditùs extirpandum, via.

Galliæ retrimenta, more Gallorum, è latibulis ſuis, furtiviſque hoſpitiis eruenda ſunt, & in alios pœnarum metu fines abigenda: corporis ulcera enſe reſecanda ſunt ne partes ſinceræ trahantur, & à fœdâ contage vitium ſugant inſanabile.

Fortunata tua Germania, quam nondum peſtis hæc afflavit! Fortunata, inquam, ſi numquam afflet! Ab hâc, quam â Lutheranâ non minùs funeſtum aliquid metuendum eſt. Rumor hìc ſerpit, neſcio an verus, jam fines radere, & uſitatis ſibi artibus aditum moliri. Veſtrum erit, Princeps prudentiſſime, quâcumque poteſtis vi, tempeſtivè obſtruere, & novis, ſicubi opus eſt, exemplis intercludere.

Deus celſitudinem tuam ad Germaniæ tutelam & ornamentum diu præſtet incolumem. Bruxellis è Muſæo meo decimo Kal. Januar. M. DC. LXXXXI.

CELSISSIME PRINCEPS

CELSITUDINIS TUÆ

Devotiſſimus cliens & promptiſſimus famulus

JOANNES BRUSSELIUS

Belga Theologus.





